

tuebuntur omnia sua anteaetæ vitæ opera.

VI. A signis ultimi iudicii ad illius notitiam perfectam non valet consequentia. Signa enim illa sunt vel remotiora, vel propinquiora: neutra nobis perfectè cognita. Matth. 24. Luc. 21.

VI. Ab ultimo iudicio oportet argumentari ad excitationem fidei, spei, charitatis, pœnitentia, patientia, temperantia, sollicitudinis &c. Hic enim est usus hujus doctrinæ. Luc. 21.

C A P I T U M XXXV.

De vitâ & morte æternâ.

I. A Vitâ gratia ad vitam gloria necessaria est argumentatio. Ulla siquidem est vita æterna inchoata, hæc consummata. 2. Cor. 5. 7. Itaque non licet argumentari à positione vitæ æternæ, prout hic inchoatur, ad negationem illius, prout consummatur. Nam vivus sensus remissionis peccatorum & reconciliationis nostri cum Deo: item renovatio nostri ad imaginem Dei; & denique spiritus obsignatio: hæc, inquam, beneficia vitæ æternæ nomine in Scripturis significantur, non tantùm quia nos ducunt ad vitam æternam, sed etiam quia ejus sunt primitiæ, ac proinde illam non tollunt, sed ponunt. Iohan. 6. 57. c. 11. 25. Eph 2. v. 5. 6.

II. A signis